



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Opinio Scoti, & aliorum. c. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

scilicet electioni ad vitam eternam, quam censet factam esse ante merita. Excipio etiam Ferrar. qui eo cap. 5. *Pro solutione*, circa finem, plane indicat Deum neminem damnare, aut reijcere à regno suo voluisse, quod ipse appellat deferere, nisi preiusta culpa.

Hæc opinio in primis auctoritate probatur Sapient. 12. *Neque rex, neque tyrannus in conspectu tuo inquirunt de iis, quos perdidisti. Cum ergo sis iustus, iuste omnia disponis. ipsum quoque, qui non debet puniri, condempnas. & exterum æstimas à tua virtute.* Ergo prius, quam quis præciatur dignus aliquo supplicio ex propria iniquitate, Deus exterminauit eum de regno suo, & ad eternam penam destinauit.

Deinde ad Rom. 9. sæpius hæc eadem sententia insinuat. Primo illis verbis: *Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostendere diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ (supple) Quid adhuc queritur homo: aut quod idem est, vt supplet Augustin. l. lib. ad Simplician. q. 2. post medium: Tu quis es, qui respondeas deo? sermo enim ecclipticus est, & ex præcedentibus illa pars suppleri debet. Vel possumus explicare participium, Volens, vt habeat vim verbi, & sensus sit: quod si volens fuit, id est, voluit ostendere iram, ad hoc vtique sustinuit vasa apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ, &c. ex vtroque autem sensu plane colligitur, Deum prius voluisse ostendere iram, hoc est, homines ad penam destinasse, & ad hoc permisisse in peccatum labi, & multo tempore sustinuisse, vt digni intenderentur seueritate iudicij sui: nullam ergo ex ipsis culpam expectauit Deus, aut præiudit, vt eos reprobareret, hoc est, à regno celorum excluderet, & in peccatum labi permitteret; quibus duobus cuique reprobatio constat.*

Secundo id ipsum in Pharaone expressit ibidem Paulus, cum paulo antea inquit: *Dicit enim Scriptura Pharaoni: quia in hoc ipsum exiit a te, vt ostendam in te virtutem meam, hoc est, potentiam: ac si dicere, ideo sustinuit te multo tempore, & permisit in peccata prolabi, vt penam, quam tibi prædestinaueram, infligerem.* Ex quibus colligi videtur, ante omnem voluntatem permittendi peccatum decreuisse Deum, quosdam punire, & à regno celorum expellere: id quod vt præstaret, sustinuit eos in multa patientia, permittens eos in multa labi peccata. Tercio denique eodem cap. Paulus de duobus illis fratribus Iacob, & Esau inquit, antequam quidquam boni, vel mali egissent, Iacob fuisse à Deo dilectum, & Esau odio habitum.

Ex Patribus vero Augustin. lib. 1. ad Simplician. q. 2. & lib. 1. de Genesi ad litteram, cap. 1. o. de prædestinatione, & gratia, cap. 15. & 16. & passim lib. de prædest. Scriptor. & de bono perseuer. & Prosper lib. 1. de vocatione Gentium, cap. 21. alias 7. eandem sententiam docuisse videntur. Ex quibus omnibus præsertim Scripturæ testimoniis non solum colligi videtur, reprobationis non dari causam, quia primæ permissionis non datur, verum etiam quia ante præiusta peccata Deus decreuit illis negare regnum celorum.

Postremo ratione confirmatur, quia prædestinatio, & reprobatio sunt paræ diuinæ providentiæ ex quo eam diuidentes; in duobus igitur hominibus altero prædestinato, altero reprobo

Vasquez in 1. part. Tomus I.

æqualiter incipiunt: sed prædestinatio incipit in prædestinato à prima congrua vocatione, quæ cum perseuerantia connectitur: ergo reprobatio incipiet à negatione congruæ vocationis: huius autem non datur causa; ergo nec reprobationis. Si enim aliqua illius esset causa, esset peccatum præcedens, nullum autem peccatum esse potest, quod non antecedit permissio: ergo tandem ad permissionem primam, cuius nulla sit causa, veniendum est. Hæc ratio solum probat sententiam Scholasticorum, qui dicunt, reprobationis ideo non dari causam, quia non datur primæ permissionis; non tamen probat, ante præiusta peccata Deum decreuisse, excludere aliquos à regno celorum. Deinde si reprobationis daretur causa ex parte adultorum, sequeretur in eorum situm esse potestatem, reprobari, & non reprobari. Quod si ipsis subest non reprobari, erit etiam liberum prædestinari, nam medium non est, & qui non est reprobatus, debet esse prædestinatus: sed nullus habet in sua potestate, vt sit prædestinatus: ergo nec habet, vt non sit reprobatus.

Vt hanc sententiam refellamus, duo probanda sunt: vnum est, Deum non decreuisse ante præiusta peccata quemquam expellere à beatitudine; alterum est reprobationem seu reiectionem à gloria in reprobis, non incipere à prima permissione, tamen si aliqua reprobatio inde incipiat. Vtrumque vero non obscure ex Patribus, & ratione ostendimus cap. 4. & 5. nostram confirmantes opinionem.

CAPVT II.

Opinio Scoti, & aliorum.

Parum ab hac sententia differt Scotus. Nam in 1. d. 41. q. 1. §. *Potest aliter*, asserit, duplicem in Deo esse reprobationem alteram vocat punitiuam: alteram vero permissiuam. Docet ergo primum, punitiuæ dari causam, & ex præiustis peccatis factam fuisse; quia nunquam Deus aliquem destinat ad penam nisi propter peccata & ita nunquam punire decernit, nisi eisdem præiustis. Vt enim ait August. epist. 105. & nos fusiis infra ostendemus; Deus non est prius ultor, quam homo peccet. Deinde inquit, reprobationis permissiuæ non dari causam: quia quod homo permittatur labi in primum peccatum, nulla ex parte illius datur causa: huius enim solum nititur Scotus causam negare, de peccato vero communi primi parentis nihil asserit. Fateri autem debet permissioni nostræ illud peccatum sufficientem causam dedisse.

Ex hac doctrina hunc ordinem in mente diuina Scotus assignat. Primum, habuit Deus simul suo conspectui presentes Petrum, & Iudam verbi causa, atque decreuit efficaciter Petrum beatæ, antequam eius merita præciseret: circa Adam vero nihil de gloria decreuit, sed negatiue (vt alii) circa illum se habuit. Secundo statuit vocare Petrum, & gratiam suam illi dare: at circa Iudam eodem modo negatiue se habuit, sicut in primo. In tertio præiunxit permittere, vt Iudas laberetur in peccatum vsque ad vltimum vitæ, & ex duobus illis negationibus positus ipsum præiudit in peccato moriturum. In quarto præiudens Deus vtique exitum decreuit Petro dare gloriam, & Iudam æterno supplicio punire.

FFF 3

Scotum

*Bassolis,
Corduba.*

Scotum sequuntur Bassolis in 1. d. 3. q. 1. art. 4. Corduba lib. 1. q. 56. opin. 5. & alij recentiores, & eandem feriem instantium constituunt: nisi quod Corduba in ea q. notatione 2. sentire videtur, in primo illo instanti ante opera Deum decreuisse, non quidem punire Iudam pœna sensus, sed ei beatitudinem denegare, in quo convenit cum aliquibus recentioribus, qui primam sententiam tradiderunt. Cæterum opinio Scoti, ut à nobis est explicata, multis etiam è Schola S. Tho. fit admodum plausibilis, quod eorum severitatem temperet, qui in prima opinione dicebant, Deum ante opera decreuisse, aliquos excludere à regno cœlorum. Nam multo tolerabilius est, asserere, in illo instanti circa illos negative se habuisse Deum, de qua re S. Tho. nihil expresse dixit. De parvulis vero Scotus aperte non loquitur, sed eodem modo sentire debet, atque de adultis.

In hac Scoti opinione quædam omnino vera, & amplectenda arbitror; alia vero, in bono sensu explicata, vera esse possunt: denique nonnulla falsa, ex quibus non omnia in hoc cap. refulgunt decreui. In primis verissimum est, & mihi plusquam probabile fit, Deum ante præiusta peccata neminem pœna sensus punire voluisse: neminem etiam ante præscientiam peccatorum fuisse æterno Dei consilio à beatitudine expulsum, id quod cap. 4. probabitur. Secundo ante præiusta peccata fuisse aliquam reprobationem, & repulsam à Deo præsentiam, verum existimo. Sed an hæc sit dicenda reprobatio permissiva; tum etiam reprobationem, quam Scotus punitivam vocat, imo reprobationem à vita æterna fuisse ex eadem peccatorum præscientia, ibidem demonstrabimus. Tertio denique Deum se habuisse negative circa reprobos in illis duobus instantibus, falsum existimo, id quod sigillatim nunc paucis ostendam.

Est autem supponenda doctrina à nobis tradita disput. 79. ca. 3. nempe voluntatem Dei non posse omnino negative se habere circa ea, quæ in tempore non sunt futura, ut ibidem probatum est: sed ea, quæ non sunt futura, expresse voluisse Deum, ut non essent. Quare circa reprobos per illa varia instantia sic existimo voluntatem Dei se habuisse. In primo quidem instanti positive illis desideravit beatitudinem, sed affectu simplicis complacentiæ, quem circa omnes in universum habuit, ut disput. 89. cap. 9. notatum est. Eos autem excludere à regno eodem affectu simplici Deo displicuit, quia sicut ex se Deo omnibus desiderat beatitudinem, sic etiam quod ea careant, ei summopere displicet, nisi causa adsit, nempe peccatum. Sed quod attinet ad actum efficacem voluntatis in eo instanti negative se habuit Deus erga reprobos; primum quia tunc non voluit excludere à regno: nam si dicamus, tunc excludere voluisse, plura sequuntur absurde ut cap. 4. dicimus: tum etiam quia non voluit non excludere: si enim efficaciter voluisset non excludere, reuera beatitudinem consequerentur.

Neque vero contra hoc est id, quod loco citato diximus, videlicet Deum ab æterno non se habuisse negative circa ea, quæ in tempore non sunt futura, sed expresse voluisse ea non esse. Hoc enim non intelligitur de quovis signo, & instanti rationis, sed de vno, aut altero, ita ut nihil in tempore non futurum sit, quod non voluerit Deus

expresse non esse: & ita reprobos non consequi gloriam, Deus expresse ab æterno voluit, sed non in primo instanti, in quo nondum considerantur peccata, ob quæ solum voluit, ipsos à regno cœlorum excludere. Postquam ergo in tertio instanti præiudic peccata, iam deinceps in quarto expresse voluit, illis gloriam denegare. Id quod generatim asserendum est de iis rebus, quas Deus, voluit non esse, idque propter aliquam causam, seu occasionem, non enim intelligitur eas voluisse, antequam causam præficeret.

Quare id, quod Scotus affirmat de secundo instanti, in eo scilicet Deum se habuisse negative circa permissionem peccati, & negationem gratiæ, falsum est: nam, quamvis circa peccatum quatenus peccatum est, negative se habuerit Deus actu efficaci: quia neque voluit fieri, neque voluit non fieri; circa permissionem tamen, quæ est negatio gratiæ efficaciæ, non potuit negative se habere, ut iam à nobis probatum est loco superius allegato. Porro in eo instanti secundo positive, & expresse Deum voluisse negare gratiam congruam, siquidem ab æterno hanc erat voluntatem expresse habiturus, patet: quia ex se ipso negaturus erat gratiam non ex aliqua causa, sicut etiam in tempore ex se eam daturus est, quibus voluerit: ergo in eo instanti expresse voluit eam negare, quibus de facto negavit: sicut dare voluit quibus daturus erat: nec opus est expectare aliud signum rationis, in quo deus habet hanc voluntatem. De gloria tamen eadem proportionem dicendum est, nempe in eodem instanti, scilicet post præiusta opera, quibusdam voluisse illam dare, aliis vero eam negare: quia utrumque decretum circa gloriam ex operum præscientia pendet, & ita in primo instanti, in quo consideramus Deum solum ex se voluisse, quod attinet ad actum efficacem, negative se habuit circa gloriam, aut conferendam in tempore, aut denegandam: & ad aliud sequens signum rationis decretum utriusque remittimus, quia utrumque ex operibus præiustis pendet, ut notatum est, opera autem in illo primo rationis signo nondum videntur.

CAPVT III.

Peccatum originale causam esse reprobationis, recentiores arbitrantur.

Tertio nonnulli consent, ut referunt Catherinus, & Ioannes à Bononia, reprobationis adulatorum dari causam, eamque esse peccatum originale in vnoquoque contractum, connumerant autem inter effectus reprobationis permissionem cadendi in peccatum actuale, huius vero sufficiens causa est originale peccatum, in cuius pœnam denegantur omnia auxilia gratiæ, quæcunque non conceduntur. Referunt in hanc sententiam VValdensem tom. 1. l. 1. p. 11. l. 1. cap. 17. ubi quidem non de causa reprobationis, sed de scientiæ diuinæ immutabilitate disputat. Sed hanc sententiam expresse tradidit S. Thom. q. 6. de veritate a. 2. ad 9. & in cap. 8. epistol. ad Rom. lect. 3. & 4. Nec obstat id, quod dixit in hac q. ar. 5. ad 3. & propria sententia allegauimus, utrumque enim verum esse potest, & quod non detur causa, quare hic potius reproberetur, ille vero prædestinaretur: quia non est causa peculiaris huius diuisionis: sicut docuit

In primo instanti placuit Deo affectu simplicis gloria etiam reproborum.

Actu efficaci negative se habuit.

Dubitatio soluitur.